Digitized by Google

Sancta Maria in Monticellis

1

DE D. PETRI
PRINCIPIS APOSTOLORUM
CATHEDRÆ
VERITATE
ORATIO
HABITA
IN BASILICA VATICANA

XV. KAL. FEBRUARIAS cIↄ.Iↄcc.LxxiI.

A JOSEPHO JUSTINIANO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

JOSEPHUS JUSTINIANUS

FELICITATEM.

ETsi vereor, Beatissime Pater, ne arrogantis ſit, maximis Te Catholicæ Reipublicæ curis aſſidue occupatum interpellare; Tuæque Majeſtati munuſculum offer-

Digitized by Google

re levidenſe, ac tenuiſſimum: nihilominus Orationem de Petri Cathedræ veritate, quam Te coram habiturus ſim, ecquo demum alio modo in publicam lucem emittere recte poſſim, niſi Nomini, Majeſtatique Tuæ inſcriptam? Namque eccui potius Oratio de Petri Cathedra dicari, inſcribique debeat, quam Ei, qui Petro, ceteriſque ex ordine Pontificibus Maximis ſingulari Dei O. M. providentia Succeſſor datus, eam ipſam Cathedram implet, ejuſque vim atque auctoritatem divinitus continet, ac repræſentat? Aut cujus potius inſcriptione nominis ornatam in publicum prodire deceat, quam Ejus, cujus in ampliſſimo conſpectu habita, ac dicta ſit?

Digitized by Google

ſit? Denique ipſum argumenti genus, quod hac Oratione complexus ſum, cauſam etiam peculiarem attulit, quamobrem Tibi omnino dicanda eſſe videretur. Ecquid enim aut ad dicendum auguſtius, aut Pontifici Maximo ad audiendum jucundius, quam aſphaliæ privilegium Petri Cathedræ divinitus attributum, ingens, maximum, ſingulare; & in quo curarum omnium, ſollicitudiniſque quotidianæ omnium Eccleſiarum ſolatium, atque perfugium Pontifici paratum, & conſtitutum eſt? Sit enim Eccleſiæ univerſæ, quam Regnum Cælorum nominavit Chriſtus Dominus, quam libet difficilis adminiſtratio, multiſque obſeſſa periculis, curiſque impli-

cita graviſſimis, atque innumerabilibus: quid inter tot ſollicitudines ad animi tranquillitatem firmius ſeu eſſe, ſeu optari potuit, quam ſecuritas iſta, promiſſioni divinæ innixa, in tradenda doctrina Fidei, quæ ſummam rei continet, & in qua ſalus Chriſtianæ Reipublicæ collocata eſt, fieri non poſſe, ut a vero aberret Succeſſor Petri? Itaque hic veluti a curis portus, hoc perfugium, hæc Catholicæ Eccleſiæ, ejuſque Principis ſecura ſtatio, ac tranquilla eſt. Ego vero, tametſi ſentio, quam minime pro dignitate a me res tanta tractata ſit; tamen, quod conatus ſim exſequi, ſpero equidem, atque confido, Tibi, Beatissime Pater, gratum,

Digitized by Google

tum, acceptumque futurum, non ſolum propter ardens Tuum Catholicæ Religionis tuendæ, atque amplificandæ ſtudium, ſed etiam pro ſumma Tua litterarum promovendarum voluntate, qua quidem tanta es, tamque teſtata, ut inter graviſſimorum negotiorum aſſiduas occupationes, hanc quoque rem, quæ tua mentis, atque animi magnitudo eſt, Tibi magnopere curandam putes, ut litterarum ſtudia in hac præſertim Urbe, quæ ſemper ingeniorum ſplendore, & divinarum, atque humanarum diſciplinarum facultate, Orbi univerſo admirationi, exemplo, doctrinæ fuit, tanto magis, fauſtiſſimis auſpiciis Tuis, floreſcant, & ſplendeant. Cui ſi Ora-

tionem hanc meam, qualis ea cumque ſit, non omnino diſplicuiſſe cognovero, exiſtimabo fructum eſſe me ſtudii, ac diligentiæ ampliſſimum conſequutum.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

QUOD anno ſuperiore in auguſto conſpectu Tuo, BEATISSIME PATER, ex hoc ipſo ornatiſſimo, ad dicendum loco, in ſacratiſſimæ Principis Apoſtolorum Cathedræ ſolemni celebritate, ſapienti conſilio, & gravi, ſplendidaque Oratione de Unitate hujus Cathedræ dictum eſt: ea me res ipſa ſua ſponte admonuit, poſtquam is mihi tantus honor dicendi hac die, ex hoc loco delatus eſt, ut de ejuſdem Cathedræ veritate agendum eſſe exiſtimarem. Neque enim quidquam conjunctius alteri, aut natura magis nexum, quam cum Catholica unitate veritas Catholica colligata eſt, & cohæret; ut ſi quis alterutram ſuſtulerit, ei neceſſe ſit auferre etiam alteram: neque hæc unita-

tis,

tis, ac veritatis indiſſolubilis conjunctio ullibi aut ad manendum firmior eſt, aut ad ſpectandum illuſtrior, quam in Petri Cathedra, hoc eſt in centro ipſo Catholicæ unitatis. Id dum exequor, orationiſque ſplendidam copiam, quam rei magnitudo ſuppeditat pulcherrimæ, ac ſalutaris, in conſtitutas temporis anguſtias cogo; orationis dignitatem, cui neque explicandæ tempus, neque facultas mea illuſtrandæ ſuppetit, ipſe tum ſacratiſſimæ ipſius Cathedræ, tum Tuus imprimis, BEATISSIME PATER, conſpectus, in quo vis ipſa, & majeſtas Cathedræ tota reſidet, ſuſtinebit.

Petri Cathedræ veritatem mihi ad dicendum propoſitam non eo nunc modo intelligi volo, ut aut Cathedram illam, quam honorificentiſſime, uti oportebat, collocatam habemus ante oculos, eam ipſam eſſe, in qua Princeps Apoſtolorum ſedit; aut in Petri Cathedra manere perpetuam ab ipſo Petro Eccleſiæ univerſæ Antiſtitum ſucceſſionem, manſuram porro uſque ad conſummationem ſeculi ſumſiſſe me mihi ad oſtendendum quiſquam exiſtimet. Quorum etſi eſt utrumque verum, atque alterum quidem graviſſimorum ex omni vetuſtate teſtimoniorum illuſtri copia jampridem editis libris (α) demonſtratum; alterum autem definito Fi-

(α) *V. Febei qui tempore Alexandri VII. Cæremoniar. Præf. munere fungebatur.*

Fidei Catholicæ dogmate ratum, firmum, atque immutabile; ego tamen veritatem Cathedræ appello doctrinæ Fidei facultatem illam certam, ac tutam, cui nulla unquam fallacia erroris poſſit obrepere; quamque contendo Cathedræ, quam ſuccedentes Petro poſt alios alii Pontifices tenent divino ſingulari beneficio ita eſſe attributam, ac propriam, ut fruſtra futura fuiſſet una, niſi eſſet item eo modo vera; notionemque unitatis Cathedræ pervertant, ac mutent, qui veritatem ipſius iſtam & agnoſcant, & cofiteantur. Ecquis enim Catholicus eſt, qui ignoret, Petri Sedem centrum eſſe unitatis, non oſtentandæ ſolum, ſed etiam, atque id quidem potiſſimum, continendæ? atque ita quidem, ut, quod Hieronymus dixit, quicumque cum Pontifice Romano non colligit, diſpergat, ſitque non Chriſti jam, ſed Antichriſti (β)? Aut cui ignorare liceat partes Petro proprias eſſe impoſitas confirmandi Fratres; has autem Petri partes Cathedræ ejus adhærentes ad reliquos ex ordine Pontifices Maximos perpetua ſucceſſione, ordinatione divina tranſmitti? cum quidem, quod ad communem Eccleſiæ ſalutem ſemel divinitus inſtitutum eſt, perpetuum eſſe oporteat; ac neque Eccleſiæ unitas ſine unitatis centro manere poſ-

(β) *Epiſt. 15. num. 5. ad Damaſ.*

Digitized by Google

poſſit, neque id centrum inde moveri poſſit, ubi a Chriſto hujus auctore, ac fonte unitatis collocatum eſt. Jamvero ecquid prodeſſet ad continendos in Fide homines una ſpectabilis Cathedra, ſi liceret de ejus auctoritate dubitare? Aut quo modo confirmare poſſet in Fide fratres, qui firmus ipſe in veritate non eſſet? Firmuſne autem in vero quiſquam, quem poſſit quandoque error a vero abducere?

In hac Petri Cathedræ veritate, cui nullus poteſt unquam error obrepere, ea conſtituta eſt, quam Irenæus (γ) appellavit, *pleniſſima oſtenſio*, *unam*, *& eamdem vivificatricem Fidem eſſe*, *quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata*, *& tradita in veritate*, nullo modo futura *pleniſſima*, immo ne ulla quidem, ſi ſuſpicio reſidere poſſet, quovis objecto errore, *conſervatam* non eſſe traditam ab Apoſtolis Fidem; neque vero unitatis Catholicæ centrum Petri eſſet Cathedra, ſi *unius vivificatricis Fidei* oſtenſio aliunde petenda eſt. Hæc *potior principalitas* eſt, propter quam ad *Romanam Eccleſiam*, eodem prædicante Irenæo, *neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam* (δ): hinc Eccleſiis reliquis omnibus *præſto eſt auctoritas*, ut cum Tertulliano loquar (ε), *& veritatis teſtimonium*, *quid dicat*, *quid do-*

(γ) *L.3.contra hæreſ.cap.3.* (δ) *Ibid.* (ε) *l. de Præſcript.cap.36.*

doceat, Petri Cathedra. An vero Hieronymus (z), cum ſciſſa in tres partes Syriæ Eccleſia, ipſum ad ſe rapere feſtinaret, incertuſque hæreret de tribus hypoſtaſibus utri parti auſcultandum eſſet, potuiſſetne præclara illa voce, qua conſulto Romano Pontifice, interim clamabat: *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt;* potuiſſetne, inquam, iſto modo ſedare animi æſtum, niſi inter contendentium diſputationes, atque errandi periculum, perſuaſum habuiſset, planeque animo infixum, id omnino eſſe verum, quod Petri Cathedra doceret, falſum autem quod ab ea diſſentiret? Quid? Auguſtino (*n*) niſi id ipſum exploratum eſſet, fuiſſetne unquam illa ejus adverſus Pelagianos præclara vox, *Roma reſcripta venerunt, cauſa finita eſt?* Aut de Fidei dogmate cauſa finiri poteſt illius reſcripto, cujus ut ſit judicium cum Fide congruens, vereri ullo modo poſſis?

Communicamus, inquiunt, cum Petri Cathedra charitatis communione, atque hoc modo uni ſpectabili Cathedræ, unitatis centro conjungimur. Itane vero? Communio ne poteſt ulla eſſe Catholicæ charitatis, ſi non ſit Fidei communio? Quid enim? An Montaniſtas, cum Fidei ſimulatione litteras ab Apoſtolica Sede communionis teſtes frau-

(z) *Cit. Ep.* 15. *num.* 5. (n) *Serm.* 131. *num.* 10.

fraude extorſiſſent, iccirco unitatis centro fuiſſe conjunctos dices, quod a charitatis communione palam excluſi non eſſent? Sed rogo, ecqua demum communio charitatis ea eſt, cui confidunt, ut centro unitatis ſe conjunctos putare poſſint, qui ab ejus Fide diſſenſerint? Utrum enim communionem efficit, ejuſne, qui cum una Petri Cathedra communicare ſe dicit, voluntas, an Cathedræ voluntas communicandi? Quod ſi charitatis communione ita conjunctus quiſque centro unitatis eſt, ut communicare cum eo ſe jactet; quot nobis extemplo hæretici extabunt conjuncti centro unitatis, quod tam abſurdum dictu eſt, ut nihil poſſit non memorari dico, ſed fingi abſurdius, aut magis pugnans. Sin vero in Petri Cathedræ communicandi voluntate poſita charitatis communio eſt, & cum centro unitatis conjunctio, ecquis ei ſe conjunctum jactare poſſit, quem ea extorrem a ſua communione fecerit? Aut quid tam certum tamque teſtatum, quam Petri Cathedram communione charitatis ſua complecti neminem, qui non ipſi in Fide communicet? Itaque charitatis complexio communionem cum Petri Cathedra, cumque centro unitatis conjunctionem non efficit ipſa, ſed ſequitur, efficit autem Fidei communio, atque ut Tertullianeo verbo

Digitized by Google

bo dicam (θ), *conſanguinitas*, ex qua charitatis communio oritur, cujuſque in externa commnnicatione non vis eſt poſita, ſed teſtimonium.

Quod ſi unitatis continendæ in centro ipſo unitatis, hoc eſt Petri cathedra, vis omnis atque poteſtas collocata eſt; ecquis non intelligat, eam vim fruſtra futuram, niſi divinitus firma ſit, atque ab omni erroris ſeu periculo, ſeu ſuſpicione tuta, ſecura, inviolabilis?

Quæ cum ita ſint, cumque in Petri Cathedra centrum unitatis agnoſcere, Fidei autem auctoritatem omnibus modis certam, firmamque non item agnoſcere, ſumma ſit inconſtatia ſecum pugnantis animi, & antecedentia proſpicientis quidem, at non intelligentis tamen, quid neceſſario ſequatur; ecquid eſt, cur inconſtantiæ tuendæ, ſi poſſint, ſuæ cauſas novi homines in commenticiis Pontificum Maximorum aberrationibus fruſtra quærant? Quaſi vero non ex maxima parte falſa pro veris, cum inſigni totius hiſtoriæ perverſione, obtrudant, aut vero quaſi nihil interſit inter vaſis fictilis infirmitatem, qua communi conditione naturæ circumdatus eſt omnis Pontifex, ut eum animi firmitas ad fungendum munus aliquando deficiat, confirmandorumque fratrum quandoque minus ſatagat, & vir-

(θ) *Cit. l. de Præſcript. cap.* 21.

Digitized by Google

virtutis Dei ſublimitatem, firmitatemque promiſſionis divinæ, qua ſic comparatum, & conſtitutum eſt, ut Succeſſorem Petri confirmantem fratres nunquam deficiat fides, neque in fungendo munere error ei unquam ullus poſſit obrepere, ut prudentiores ſint filii ſeculi, qui, ne infallibili unius Cathedræ auctoritati cogantur ſuccumbere, negant unam divinitus eſſe inſtitutam, cum intelligant alterum ſine altero eſſe non poſſe, quam filii lucis in generationibus ſuis, qui unitatem cuſtodientes, id tamen deſerunt, quo ſublato, ipſam neceſſe ſit auferri unitatem. Quare hoc reliquum eſt, ut Spiritus ille divinus, unus, & verus, in quo Eccleſiæ unius veritas fundata eſt, uſque ad conſummationem ſeculi permanſura, illuſtret utrorumque mentes, atque animos, atque alteros quidem ad unitatem adducat, alteros ita in veritate confirmet, ut ab ea unitate, quam amant, & volunt, atque a communi unitatis ac veritatis Catholicæ centro Petri Cathedra nullus eos unquam error poſſit abducere, atque

„ Una fides vigeat, priſco, quæ condita templo eſt,
„ Quam tenet Cathedra Petri (1).

(1) *Prudent. in hymno de S. Hyppolito.*

BIBL. ... VITTORIO EMANUELE